

DEO OPT. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-sextâ mensis Februarii. An. Domini M. DCC. LXVIII.

M. COSMA-AUGUSTINO LEZURIER,
Doctore Medico, Præside.

An ùt in febribus intermittentibus, ità in plerisquè morbis periodicis salubris kinæ kinæ usus.

I.



HAUD satis celebrandus cortex Peruvianus, & ab eâ quâ valet in febribus intermittentibus debellandis efficaciâ specifici nomen ac præstantiam tàm benè meritus, solitas in inventorum omnium primordiis controversias licèt expertus, brevi tamen apùd medicos sic invaluit, ùt intrà paucos annos, ubiquè terrarum, unico ferè solo ubi natales habet, excepto (*a*), tan-

(*a*) Vide acta Reg. Sc. Acad. Parisiens. 1738. p. 226.

quàm cæteris anteponendum febrifugum, ſalubriuſquè fuerit ſpectatus & in uſum vocatus. Hiſtoriam ejus naturalem, curioſam quidèm (*b*), ſed hìc prorsùs alienam præmittere vetant theſeos limites. Ejuſdem vires ac indolem experientiâ duce ſuffecerit aſſignaſſe, & quantumvis in hac parte erraverint primi hujus medicamenti fautores, minùs infauſtum nuperrima nunc ſuadent tentamina ſucceſſum. Cùm enim ſolerti chymiſtarum induſtriâ magis evoluta fuerint kinæ kinæ principia, nec non ſimùl ab œconomiâ corporis fermenta, qualitates occultas, cætera què id genus rejecerint medici, jam à viâ rectâ deflexos in clarius ſyſtema duxit doctrina certior; & cum inſuper corticis illius uſus magis ac magis invaluerit, non febribus tantùm intermittentibus, ſed etiam pluribus aliis morbis adverſari fuit obſervatus, adeò ut eum antiputridam vim habere, antihyſtericam, tonicam, adſtringentem, &c. fateantur omnes. Nec ideò tamèn autumes omnes ſublatas difficultates, nec plurima adhùc latere: quot ignota ſuperſint hodierna revelabit quæſtio. Verùm opinionem fovet & tuetur obſervatio, quem hæc dirigit, rarò fallit illa; & in hoc unicè operam impendemus, ut ad propoſitum finem adimplendum, hâc illa ſemper nitatur. Si igitur cum febribus intermittentibus, tùm quoad periodos, tùm quoad cauſas, affines probentur morbi periodici, nec alio modo has & illos vincere valeat cortex Peruvianus, jam pariter his eum & illis ſalubrem fore pronum erit; nunc ſi pluribus exemplis & teſtimoniis ſimiles confirmentur ejuſdem in utroquè morborum genere ſucceſſus & effectus, demonſtrationis vim habitura eſt conjectura: utramquè aſſertionem poſteà dicendis evidentem fore non dubitamus.

(*b*) Ibidem.

I.

MIRANDA ſanè præbet obſervanti phœnomena febris intermittens. Invadentem pro morbo ſæpiùs haberes periculi pleno. Paucis tamèn abhinc horis ſic remittit, ut ſedatis tandem omnibus ſymptomatis, jam nullatenùs, aut parùm à ſtatu naturali recedat æger. Verùm latet tunc anguis in herbâ, nec unico ſe victum fatetur certamine: mox enim aut citiùs aut tardiùs renovatur paroxiſmus, pluriès iterùm abiturus & reverſurus. Quid alterno iſto morboſi ſtatûs in ſanum, & ſani in morboſum tranſitu magis ſtupendum! Quis ſibi veram ejus rationem aut cauſam fingere pollicebitur? An quæ primum excitavit febris impetum materia ſic omninò poſt paroxiſmum fuit eliminata, ut nova debuerit ab iſto ſequentem in apyrexiâ generari? An potiùs ejuſdem pars tantùm poſt ſingulas acceſſiones foràs ejicitur, dùm ſuperſtes aut in quâdam corporis ſede latitat, aut cum maſsâ humorum generali circulatur? De poſteriori quæſtione non eſt controverſia: verùm, poſito, ut decet, ſuperſtite fomite, aliud eſt eum in aliquâ

parte latentem, aliud eum generales ſanguinis circuitûs vias ſequentem ſupponere: in priori caſu non excitaretur paroxiſmus, niſi quatenùs à ſede dimota febrilis materia in ſanguinis torrentem abiret; in poſteriori verò, niſi quatenùs eadem humores inquinando, nec non in naturam ſuam vertendo, novam acquireret vim quâ febrem denuò producere potis eſſet. Quidquid autem ſit, litem dirimere non aggrediemur, & à propoſito nè diſcedamus, hæc tantùm ſint de febribus intermittentibus, quarum ut naturam, ſic nomen pro vario tempeſtatum & periodorum ordine variare omnibus medicis notum eſt.

Eſt in pluribus etiam morbis intermiſſionis quoddam genus huic febrium apyrexiæ prorsùs affine. Hoc nulli ſpeciali proprium affectioni indiſcriminatim obſervatur. Sic vulgò periodica videntur, hemicrania, otalgia, epilepſia, odontalgia, angina ſpuria, hiſterica, athſma, rheumatiſmus, podagra, quàmplurimi fluxus præternaturales, aliique dolores, &c. Dantur quorum periodi à ſe invicem plùs minùs vè diſtantes febrium intermittentium recursûs ordinem omninò ſequuntur, dùm cæterorum paroxiſmi aut ſingulis menſibus, aut ſingulis annis, aut tandem irregulariter prodeunt. Hinc in periodicos regulares, & periodicos irregulares talium morborum naturalis diviſio; hinc major regularium cum febribus intermittentibus affinitas, quæ cùm in periodis jam evicta ſit, in cauſis incumbit demonſtranda. Porrò in utroquè morborum genere materialem in corpore non potes quin admittas cauſam, quæ pro eâ quâ valet indole, vel eâ quam occupat ſede, nunc illam, nunc aliam pariat læſionem; hæc verò materia nihil aliud eſt, niſi heterogenea ſubſtantia, quæ vel ab extrinſecò in corpus intromiſſa, vel à vitiatis liquidis oriunda præſentem produxit morbum; heterogeneum autem illud, qualecumque ſit, eam habet, & ſibi ſoli propriam corpus afficiendi facultatem, ut identidèm paroxiſmos excitet, & nullum identidèm præſentiæ ſuæ det ſignum, licet in corpore qualicumquè modo exiſtat; undè quamvis præcisè determinari Nequeat variarum utriuſquè morborum generis cauſarum natura, ſaltèm jam ex hac parte recuſari non poteſt analogia. Alteram autem & non minùs evidentem habebis in frequenti febrium intermittentium in periodicos dolores (a), alioſve idgenus morbos converſione, quâ ſanè demonſtratur eamdem materiam in diverſâ proportione, aut in diverſâ ſede, diverſas produxiſſe læſiones. Ad vulgares dein febrium intermittentium cauſas ſi ſpectetur, mox depravata digeſtionis organa, impurum, nec facilè liquoribus animalibus aſſimilandum ſuppeditantia ſuccum inculabuntur; & ſi pariter ad hemicraniæ periodicæ v. g, cauſam attendatur, idem & ab ægroti reſponſis, & à ſymptomatis plerùmque agnoſcetur vitium. In utroquè caſu cruda, nec non im-

(a) *Tortus*, Therapeut. ſpecialis ad febres period. pernicioſ. l. v. c. vj. p. 428. *Ballon.* L. de Rheumatiſmo & Conſ. 5. *Fernel.* Patholog. l 6. c. 10. *Diar Med.* Januar. 1758. p 48. *Muſgravius.* c. ix.

perfecta materia generavit læſionem, ideoquè una fuit eademquè cauſa, undè tertia denuò habetur analogiæ confirmatio. Quartam deniquè ſuppeditabunt omnium ferè authorum relata (*b*) quibus conſtat ſub febris intermittentis larvâ periodicos prodiiſſe morbos, & ab uſu kinæ kinæ ſanatos fuiſſe.

(*b*) *Morton.* pyretolog. p. 32. 101. 93. *P. Salii* ad altomari praxim, *&c.*

III.

QUOD morbo cuilibet ſpecificè adverſatur medicamentum, alteri ſimiles periodos & cauſas habenti pariter conferre non immeritò cenſeretur. Verùm docet experientia nullum in febribus intermittentibus curandis cortice Peruviano præſtantius eſſe remedium, & his morbos periodicos prorsùs affines anteà probavimus, ideoquè non minor in his, quam illis jam præſupponenda videtur kinæ kinæ ſalubritas. Qualis autem ſit illa, & eamdem eſſe reverà in utroquè morborum genere ſequentibus agnoſces. Si enim examini Chymico corticem dictum ſubjicias, tres præcipuas obſervabis partes, reſinoſam ſcilicet, gummo-reſinoſam, & terram abſorbentem in adſtringentium claſſe reponendam. Totus prætereà cortex amaritiem maximam, ſaporemquè refert auſterum; tale autem compoſitum facilè tonicam & adſtringentem habere vim concipietur; & quidem hanc reverà ſæpè ſæpiùs in diverſis à febre periodicâ caſibus exerit, ſic in languente digeſtione robur ventriculo conciliare, in paralyticis affectibus tonum partibus reſtituere, in variis alvi ac uteri fluxibus prodeſſe, &c. obſervatur. Annè igitur eamdem in febres intermittentes exerceret potentiam? Quæ iis poſt hunc corticem magis adverſantur medicamenta, qualia ſunt v. g. pleraque amara, iiſdem ferè ſcatent principiis, eodem donantur ſapore, tonica habentur, & unicum quod has inter & illum percipitur diſcrimen, à ſola combinatione pendere videtur. His adde quod nec in volatili quodam per analyſin avolando reponenda ſit kinæ kinæ virtus febrifuga, cùm vel totaliter ſumptus, vel analyticè ſpectatus nihil volatile exhibeat; nec in peculiari quodam principio, quod nullibi reperiatur; nec tandem in eâ quam habet putredinem arcendi facultate, cùm plurima dentur corpora, quæ eamdem licèt eminentiùs poſſideant, non habentur tamen ut antifebrilia. An igitur certa quædam, nec cæteris compar principiorum ejus combinatio hanc ipſi ſpecificam tribueret proprietatem? An potiùs in primordiali, ſeu, elementari eorumdem conſtitutione talis reſideret efficacia? An tandem, his admiſſis, tamquàm tonicus, adſtringens & antiputridus in febrilem fomitem ſimul & in corpus, ageret? Quidquid ſit, certiora docebit obſervatio: vidimus autèm ſat demonſtratam hujus medicamenti vim tonicam; aſtringentem à ſuâ potiſſimùm terrâ obtinet naturam, eamdem què anteà probavimus, nec antiputridam ignorare ſinunt innumera tentamina. Nunc ſi ratiocinio ha-

ficatur locus, varios quibus oppugnari potest febrilis materia liceat expendere modos. Porrò vel assimilatur eadem, vel foràs amandatur, vel ab ejus labe deffenditur corpus: qualiscumquè subsequatur kinæ kinæ effectus, suppositâ inter febrium intermittentium & morborum periodicorum causas paritate, jam pariter in utrumquè morborum genus necessariò aget. Suppositis verò causis diversis, si priùs paroxismorum recursui, quam morborum causæ obstet cortex ille, nihilominùs eadem erit ejus in utrumque morborum genus actio, dummodò respectu paroxismorum idem sit & febrium intermittentium & periodicorum morborum ordo, eadem eorum causæ facultas. Hanc & illum anteà demonstravimus, proindèque non immerito similem supponitur in febribus intermittentibus & morbis periodicis effectum habere kina kina.

I V.

QUÆ plures excitat, & excitare valet paroxismos materia, atquè, cùm idoneis non debellatur auxiliis, graves & sæpè lethales producit morbos, tam frequenter à primâ corticis Peruviani dosi sic victa certè concipi nequit, (dum præsertim nulla subsecuta fuit crisis) ut nullum remaneat ejus in corpore vestigium, nisi simùl etiam concipiatur hujus medicamenti ope sic eam humoribus animalibus assimilatam fuisse, ut nulla remanserit ejusdem particula. Undenàm tunc, si tuta certaquè fuerit, repetenda erit curatio, nisi ab hujusce corticis tonicâ virtute simùl & ab eâ quam possidet humores nocivos arcendi facultate? (Qualiscumquè ènim sit à materiâ febrili producta labes, ab actu ad posse valet consequentia; & plura putrescentiam in febribus intermittentibus oriri evinciunt, plura corticem Peruvianum putredini obstare) quid autèm impedit similem in quolibet morbo periodico hujus medicamenti effectum. Posito igitur illo casu, nullum adest inter utriusquè morborum generis curas discrimen. Si verò ad cæteros ab assumpto cortice eventus attendatur, sæpè sæpius febrim sisti, licet adhùc in corpore lateat fomes febrilis, monstrabit experientia. Sic post unum alterumvè paroxismum, accidit ut exhibito kina kina per plures dies à morbo se liberum autumet æger, posteà tamèn aut in eumdem, aut etiam in pejorem lapsurus statum. Nec raro demùm evenit ut incæptus similiter ab eodem remedio, imprudenter sanè dato, subitò cohibeatur paroxismus; & frequentes ab eâdem methodo nasci viscerum abdominis obstructiones neminem fugit. Sed in hisce omnibus circumstantiis paroxismos potius quam morbi causam impediri quis denegabit? quis tandèm non intelliget in febrilem materiam tonicâ præsertim & adstringente vi corticem tunc egisse? Nunc similem in morbis periodicis observa successum. Nonnè docet praxis medica, tonicis & adstringentibus sæpissimè in ægrorum perniciem cu-

ratos fuisse dolores & morbos periodicos ? (adhibitus fuerit an non kina kina, valet paritas, cum in febribus intermittentibus adstringentis & tonici vim exerere probatus fuerit) similem igitur & usus sagax & abusus in utrumque morborum genus monstrat agendi modum experientia. In priori casu, vel assimilationem nocivæ materiæ, vel ejusdem destructionem, vel tandem humores ab ejus noxâ deffensos agnoscis. In posteriori verò vides heterogeneum quasi vinculis constrictum, in quibusdam corporis partibus retentum, stagnans & innumeras strages producere valens. In utroquè casu præterea vides in fomites inter se affines, idem medicamentum similiter agens : nec mirum ; cùm specificè febribus intermittentibus obstet cortex Peruvianus, si in morbos qui sub earumdem larvâ sæpè sæpiùs sæviunt, similiter procedat. Nunc verò juvabit observationibus opinionem confirmare. Hemicraniam periodicam in se ipso & in duobus ægris habitam cortice Peruviano sustulit *Celeb. Mortonus* (*a*). Periodicè recurrentem ophthalmiam similiter *A pacchiono* curatam tradit *Tortus* (*b*). Statâ horâ singulis diebus recurrentem acerbissimum ventriculi dolorem eodem medicamento superatum fuisse ex *Valisniero* testatur idem (*c*). Proficuum in athsmate convulsivo per intervalla sæviente retulit *Corghius* Medicus Mantuanus in epistolâ ad *Tortum* scriptâ (*d*). In Podagræ paroxismis idem conferre asserit *Sydenhamius* (*e*), & febrim sæpius suspendere quam debellare (*f*). De cephalalgiâ intermittente sine febre loquitur D. *Sauvages* (*g*) & kinæ kinæ efficaciam in hoc casu mirificè laudat. Sed quæ passim apud auctores reperiuntur exemple vivens magis adhuc confirmat auctoritas, nullus enim medicus in praxi versatus similia non vidit, & multæ in saluberrimæ Facultatis Commentariis servantur observationes quas in comitiis *primâ mensis* dictis retulerunt *Medicinæ Doctores sapientissimi* quibus eadem innititur (*h*).

(*a*) De Proteiform. febris interm. genio cap. IX. p. III. & in *Histor.* 27.
(*b*) L. c. p. 426.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Ibid.
(*e*) In operibus. p. 570.
(*f*) Ibid. p. 112.
(*g*) Nosolog. Meth. t. 3. p. 5. Class. vij. p. 58.
(*g*) Teste Sapientissimo. *Præside.*

V.

CUM igitur undequâque assertionis nostræ veritas in lucem proferatur, in non nullas jàm quibus insuper pollet cortex Peruvianus dotes paucis verbis digrediemur. Nullum autèm in casibus diversis efficacius videtur medicamentum : à torpido fluidorum motu læsiones ortæ præsens ab eo levamen accipiunt ; quæ simul à solidorum inertiâ nascuntur, ab eodem pariter sanantur ; undè depravatis digestionibus, affectionibus hypocondriacis, hystericis, & paralyticis, &c. mirificè confert. Antiputridam ejus vim præcipuè norunt & celebrarunt Medici castrenses, quibus tanta in desperatis morbis præstitit. Sed, ut ad propositum redeamus ; eum sic in periodicis morbis proficuum nè putes, ut promissos semper exerat effectus ; non datur in rerum naturâ tale specificum. Nec inferas omnes ejus usum pati affectiones periodicas ; in periodicâ hemoptoe tutò adhibitum non

credam. Sed ubi præsertim sub larvâ febris intermittentis periodicus accedit morbus, jam prestò est id medicamentum, & à pandiculatione prægressâ, (a), fomitis febrilis latentis signum habebis. Ubi regulariter prodeunt paroxismi, tutiùs adhibendum censeas, & irregularibus etiam conferre, dùm præsertim tonum amissum pro causâ morbus agnoscit. In genere caveas ab ejus usu, ni præmittenda præmisseris, fomitem enim morbificum coërcere valet; & cum illud omnibus medicamentis potentioribus commune sit, ut cùm in debitis circumstantiis & in debitâ dosi adhibentur, maximum afferant emolumentum, noceant è contrâ cùm intempestivè præscribuntur, sic de kina kina judicandum. Ducem habet experientiam Medicus, variarum læsionum effectus & pericula noscit, medicaminum vires, quantùm ad humanam industriam pertinet, edoctus, in debitis circumstantiis hæc vel illa solus opponere valet, & sic medium tenet empyricum inter & systematicum, utrumquè pariter in generis humani perniciem natum. Cùm igitur ab effectibus analogiam inter morbos periodicos & febres interrmittentes probaverimus, & à cognitis quibusdam Peruviani corticis dotibus, similes in similibus casibus evicerimus & observationibus confirmaverimus, jam concludere præstat.

(a) Nosolog. Method. *Sauvages.* t. 2. p. 2. Class. iv. pag. 41.

Ergò ut in febribus intermittentibus, ita in plerisquè morbis periodicis salutaris kinæ kinæ usus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Paulus-Gabriel LEPREUX.	*M. Joannes-Antonius* ELIE DE LA POTERIE.	*M. Ludovicus* PATHIOT.
M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, *Antiquus Regis Exercituum Medicus ordinarius.*	*M. Josephus-Jacobus* GARDANE, *Censor Regius & Regiæ Scientiarum Societatis Monspeliensis Socius.*	*M. Franciscus* BIDAULT, *Chirurgiæ Professor designatus.*
M. Edmundus-Claudius BOURRU.	*M. Joannes-Stanislaus* MITTIÉ, *Regiæ Scientiarum & Litterarum Nancei Academiæ Socius, necnon Stanislai I. Poloniarum Regis, dum viveret, Medicus ordinarius.*	*M. Joannes-Claudius* MUNIER, *Consiliarius Medicus Regis ordinarius & domûs Regiæ Invalidorum.*

Proponebat Parisiis JOANNES COLOMBIER, Tullensis, Medicus Duacenus, in Facultate Remensi Cooptatus, & Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus. Theseos Auctor. A. R. S. H. 1768.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univers. & Facult. Med. Parisiensis, Typographi.